



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

21. Mortificatio iræ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

titias quæram, appetitûs æstum nunquam non moderer, tempus observem, alios non plûs æquo invitem, multò minûs cogam ad edendum vel bibendum; ne cum epulone divite, ad famem sitimque perpetuam condemner, & inter gehennæ flammâs sepultus, aquæ guttulam frustrâ efflagitem.

Aspirationes.

I. *Noli avidus esse in omni epulatione, & non effundas te super omnem escam. Eccli. 37. 12.*

II. *Averte à me, Domine, oris scurrilitatem, & ventris ingluviem. S. Aug. Med. c. 1.*

III. *Utinam, mi JESU, nunquam in cibo, potûque sumendo excederem; sed semper ad alimenta, tanquam ad medicamenta accederem.*

P A S S U S XXI.

Mortificatio Iræ.

T E X T U S.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio tollatur à vobis. Ephes. c. 4. 31.

Cogni-

Cognitio.

Iracundia, seu ira est inordinatus appetitus vindictæ, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 46. a. 2. Actus verò ope examinis particularis abolendi sunt.

1. Indignatio. 2. Tumor mentis. 3. Clamor. 4. Verba injuriosa. 5. Facta injuriosa & nocumenta. Comites & asseclæ iram commitari aut subsequi soliti sunt: diffidentia, vindicta, odium, gaudium de malo proximi, voluptas de vindicta; verba vindictam spirantia & minæ, obmurmurationes, increpationes, contentiones, rixæ, altercationes, contumeliæ, blasphemiæ, læsiones ac damna; quæ omnia, radice evulsâ, eliminantur.

Consideratio.

Perpende anima mea, damna & effectus, iracundiæ, ut ad ea avertenda exciteris. Enumerat ea ex parte Magnus Gregorius L. 5. Moral. c. 31. *Per iram, inquit, sapientia perditur, ratio obfuscat, quid agendum sit ignoratur, vita amittitur, iustitia relinquitur, gratia vita socialis deperditur, concordia rumpitur, lux veritatis obfuscat, Sancti Spiritus splendor excutitur.* Aliaque mala innumera accersuntur. Quis igitur iram ebullientem, ejusque paroxysmos compescere ac frænare negligat?

Pe-

Petitio.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; tolle à me iræ & vindictæ cupiditatem, ut nunquam in corde meo locum reperiat; sed in eo charitas, pietas, mansuetudo, & animi tranquillitas, dominatum teneat.

Aspirationes.

I. *Desine ab ira, & derelinque furorem.*
Psal. 36. 8.

II. *Salvator meus, amove à me furorem ira, & indulge mihi benignus scutum patientia.* S. Aug. Med. c. 1.

III. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicii.* Matth. 5. v. 22.

P A S S U S XXII.

Mortificatio Acediæ.

T E X T U S.

Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare.
Eccli. c. 9. 10.

Cogni-